

me urgentis (quae occurrebat) Necessitatis disposita fuisset. Ita in Ordine ad praemissa amodo deinceps quoque Articulum Quadragesimum octavum Anni millesimi Septingentesimi quadragesimi primi accurate observari faciemus; illa autem, quae Militiae nostrae illac aliquando transiturae, a Regnicolis suppeditabuntur, Pretio, in benigno Regulamento nostro Militari, quod in Regno Nostro Hungariae Anno praeterlapso Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Quinto publicatum fuit, denotato, bonificanda, benigne ordinabimus. Ex quo porro Onus Exolutionis regulatae modo praevio Militiae hujus Banalis Regni Confinariae in universam Partium illarum Contribuentem Plebem per repititos fideles Status et Ordines assumptum haberetur: Hinc illa etiam Loca, quorum intuitu quaedam Exemptionis Privilegia allegantur, Pagi quippe et Possessiones, seu Episcopales, Praepositorales et Capitulares, aut quorundam etiam Privatorum, excepto tamen Loco Valachico Topuska cognominato, velut hosti magis exposito, intra Ambitum Regni nostri Croatiae existentes, sed et Decimalistae et Praedialistae Ignobiles, Libertini item universorum Dominorum Terrestrium et Nobilium, adeoque omnes praemissos Fundos, nec non ipsas Liberas Regiasque in Regnis nostris Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae sitas Civitates et Oppidum Czirkveno, pro reliquae Contribuentis Plebis aliquali Sublevamine, praenotato communi Publico Oneri aequaliter ac proportionate, quoad Facultates, quas possident, subjiciendos Clementer hisce decernimus; ipsos tamen in Fundis Capitalaribus, adeoque privilegiatis, Curialibus, extra Muros Capituli existentibus, prout et in Nova Villa, seu Latinorum Vico, tanquam Episcopi et Canonicorum Allodij, degentes Incolas, a Personalibus oneribus, uti sunt Militares Condensationes et Illocationes, Praejuncturarum item Praestationes et his similia, eximi et immunitari benigne volumus. In praemissorum vero Consequentiam et ad ulterius demonstrandam Fidelitatem Vestris Benignitatem nostram, clementer etiam annuimus: Ut Bona Zriniano-Frangepaniana Maritima, per Cameram nostram, prout Ozali, Brod et Grobnik, per Comitum Perlas, nec non Ribnik et Pissetke, per Comitem Petaz actu possessa, praevia illorum, Modalitate iisdem fidelibus Statibus et Ordinibus per praelibatum Comitem Banum insinuanda, Conscriptione, ad Fundum Exolutionis praefatae nunc regulatae Militiae Banalis Regni Confinariae, in Quanto ex ipsa demum praenotata Conscriptione Specificè eruendo, ad effectum etiam Articuli Quinquagesimi secundi Anni millesimi Septingentesimi quadragesimi primi concurrant; Sed, et alia vicinis Generalatibus Varasdiensi et Carlostadiensi contermina, iisdem attamen haud ingremiata, aut ad rationem eorundem jam conscripta seu dicata Bona, verum per privatos Terrestres Dominos actu possessa, praevia eorundem Conscriptione, ad Contributionem pro Exolutione Militiae hujus Banalis Regni Confinariae, observata tamen debita aequalitate et Proportione, pariformiter attrahantur. Ad praecavendum porro Incolarum in praescriptis Bonis degentium ad praefatos illis vicinos Generalatus Profugum, horum, ac talium, in iisdem Receptionem per Consilium nostrum Aulae Bellicum severe interdici, utve illuc advenientes istiusmodi Profugi Jurisdictioni Regni Provinciali mox insinuentur, iidemque Exmittendis illuc pro Receptione illorum illico restituantur, Officialibus Militarem Praefecturam in attactis binis Generalatibus actu respicientibus serio injungi curabimus. Quantumvis porro Emolumenta etiam omnium Regni Confiniorum, quae hactenus in Statu irregulato ipsis dictorum Confiniorum Commendatibus obvenerunt, pro modo praevio regulatae Militiae Banalis Regni Confinariae Exolutionis adiutorio